



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiæ Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

De Advocatis & procuratoribus Rotæ Romanæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

De Advocatis & Procuratori- bus Rotæ Romanæ.

12. Sunt quoque in Rota Procuratores & Advocati, qui partium & causarum in Rota proponendarum patrocinium suscipiunt. Ad hanc Procuraturam non omnes passim admittuntur, sed solum, qui doctrinæ, usus & morum examen subierint, & per Rotæ Decanum, vel alium à Rota deputandum, adhibitis duobus vel tribus Procuratoribus ex ipsorum Collegio approbati fuerint; Pro hoc vero examine nilexigi vel solvi debet. *Paulus v. Conf. 71.*
uviversi §. 18. Porro Clerici majori dignitate præditi ad officium publici Procuratoris non assumantur; Ad hoc vero assumpti honestum habitum congruentem Clerico sæculari ferant; Tabernas non frequentent, & si Concubinas habeant, dimittant. *Martinus V. Conf. 5. Romani.*

13. Priusquam vero causam assument, diligenter prius examinent, an justa sibi vel injusta videatur, ita ut nullam injustam agendam vel defendendam scientes suscipiant, & de hoc jura-

juramentum præsent. *Martinus V. Const. §. Romani.* Si autem causæ patrocinium suscepérint, indefensas causas non di-mittant, sed proviribus eas defendant, nisi excusationem legitimam habeant à Judice approbandam. *Paulus V. l.c.* Pa-trocinium vero in eadem causa uni tantummodo parti præsent, & in re-bus agendis modestiam servent, cave-antque à tumultuosis clamoribus in Consistoriis & Audientiis. Liceat vero Procuratori causæ Advocato proponen-ti retro assistere, ut si quid forte ille o-miserit, Procurator ad memoriam re-vocet. *Martinus V. cit. Const. §.* Coram Auditoribus autem, quibus sanguine con-juncti sunt usque ad secundum gradum patrocinari non possunt Advocati & Procuratores. *Paulus V. Const. 7. §. n. 16.* Et prosequentes appellations à non de-finitiva vel gravamine reparabili, vel non lata sententia, ultra expensas & damna puniendi sunt, *urbanus VIII. Const. 7. Reg. Canc. 37.* Qui spoliant vel percu-tiunt Advocatos & Procuratores Cu-riæ Romanæ, vel talia delicta procu-rant, excommunicantur. *urbanus VIII. Const. 62.* Stipendia ultra taxas non ca-piant, nec de quota litis paciscentur

Oo 3

Ad-

Advocati, Paulus V. eit. Const. 71. Pauperibus vero gratis patrocinentur. Bened. XII. Const. 2. Pridie ejus diei, quo Rota agitur, non liceat Advocatis & Procuratoribus Auditorum studia perturbare. Paulus V. l.c. §. 18. n. 14.

De Notariis Auditorum Rotæ Romanae.

14. Quilibet Auditorum Rotæ quatuor, non plures Notarios intelligentes, fideles & honestos habere potest, qui per se, & non per alios in causis propositis scribant. Hi autem prius quam admittantur, examinandi sunt per Vice-Cancellarium vel alium, quem ipse substituerit, de literatura, ac Scriptura sufficienti, ac de vita & conversatione illorum informatione accepta, ac praestito ab iis juramento juxta formam à Ioanne XXII prescriptam approbandi. Sint modesti, & non habeant concubinas. Non sint Procuratores in Rota, neque scribant in causa partis adversæ. Munus suum fideliter & diligenter exerceant, & non sint plurimum simul

An.